



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 71. Alii Scriptores eodem anno defuncti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. **A C. 1554.**
 cuerat, mox Portius ab incæpto opere destitit, non sine interno animi livore, eo quod speratam ex hoc labore gloriam sibi ab alio præreptam doleret, nec consultum putaret, quod sese exponeret periculo, quo gloriam longo jam tempore sibi partam per intempestivam augendæ famæ cupiditatem amittere posset.

§. LXXI.

Alii Scriptores eodem anno defuncti.

Cælius secundus Curio præf. in App. Alex.
Thu. 1. c.
Henr. Vales. præf. Amm. Marcelli.

Circa idem tempus obiit Sigismundus de Ghelenn, seu Geslen, alias sub nomine Sigismundi Gelennii notus. Hic Pragæ natus linguarum peritia eminebat, ac Josephi, S. Justini Martyris, Dionysii Halicarnassæi, Philonis, & Appiani opera, necnon quasdam D. Joannis Chrysostomi Homilias ex Græco in latinum idioma transfudit, sicut etiam præter mox recensita opera adhuc alia latine reddidit, ita, ut inter Doctores pauci reperiantur, qui tot libros ex Græco in latinum verterint; nam juxta Scriptorum relationem etiam idem latine reddidit I. quatuor linguarum Dictionarium II. Evagrii Historiam Ecclesiasticam, III. Originis librum contra Celsum, IV. Ammiani Marcellini opera. Ceterum

rum ob Arnobii editionem ab ipso concinnatam vehementer redarguitur (*). Sæcul. XVI.
A.C. 1554.

§. LXXII.

Sabellati propositiones censuris perstrictæ.

Hoc item anno Parisiensis Facultas Theologica plures propositiones, quas sanæ doctrinæ parum consonas censebat, censuris notabat, earumque primam tulit die decima tertia Januarii, cui ansam præbuit apologia, quam Joannes

*Argentre
Collect. jud.
de novis er-
ror. tom. 2.
p. 222.*

(*) De aliis *Scriptoribus* sermonem se facturum spondit Continuator in Paragraphi titulo, sed nonnisi unicum recenset, forte ex Thuano, quem allegat, describere oblitus vitam Angeli Caninii, hinc de ejus fato hæc addere lubet. *Circa eadem tempora, & satis concessit Angelus Caninius Anglarensis, vir linguarum non solum Græcæ, & Hebraicæ, sed Syriacæ, & aliarum orientalium rara, & exquisita cognitione insignis, iis perdocendis diu in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ, atque in Hispania moratus: demum Andreæ Duditii Pannonii, cujus illustre nomen in literis, & ob legationes, quas obiit, postea fuit adolescentiæ admotus Lutetiæ Parisiorum docuit, ac postremo in familiam Guilielmi Præsentis Episcopi Claremontani venit, & in Arvernensium finem studiis, & vitæ fecit.*